Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1765
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 127. *Hec est Epistola Beati Bernhardi ad parentes suos.* Non est, ut dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 1143. Init: *Sola causa qua liceat parentibus non obedire Deus est* &c.

IX. *fol.* 128. *Incipit ortus et decursus ordinis carthusiens. Editus a magistro henrico Calcar.* Vir hic ita dictus ab oppido natali in Ducatu *Cliviae*, cognomine *Aeger*, de quo tradunt *Trithemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 666. et in *Scriptt. Germ. n.* 130. *Arn. Bostius de illustr. Carthus.* c. 12. et *Theod. Petrejus* in *Bibl. Carth.* p. 131. Theologus *Paris.* et Canonicus *Colon.* aetatis a. 37. Carthusiam ingressus, Praefecturis multis gestis, obiit *Coloniae* 1408. Praesens ejus Scriptum incipit: *In christo iheſu nouerint qui velint pie ortum et decursum a trecentis annis et quatuordecim hactenus annis ordinis Cartbusiensium* &c. et finit: *loquor coram deo, non esse in ecclesia dei saniores, longeuiores, leciores in christo et conscientia, aut quieciores in corpore et anima, quam sint dei dono suo modo pauperes carthusienses. Benedictus sit ergo ille, qui eis benedixit* &c. Exemplo sint ipsi *Nicolaus* supra dictus *Gemnicensis*, qui ad 100. et *Henricus* praesens, qui ad 80. annos pervenit. Historiolam ejus a nullo Ordinis Alumno hactenus ad prelum promotam inde putem, quod quibusdam aliis Sodalitiis religiosis displicere possit, praecipue *Eremitis D. Pauli*, quorum originem ad *Fratricellos* seu *Fratres de paupere Vita* silvicolas refert. Interim Monachus quidam majoris *Carthusiae* similem Relationem ab a. 1082. ad a. 1409. pertexuit, cui plura *Calcariensis* nostri inseruit. Legitur illa *Vett. Scriptor. et Monum. Martenii* T. VI. *Paris.* 1729. *col.* 151. f.

X. *fol.* 137. *Epistola beati Augustini episcopi que vocatur speculum mortis vel peccatoris.* Initium: *Quoniam karissimi in via huius vite* (al. seculi) *fugientis sumus* &c. Spuria, ut edit. *Opp. Maur.* T. VI. *Append. col.* 155.

XI. *fol.* 140. *Incipit Augustinus de triplici habitaculo mundi.* Ita: *Tria sunt sub omnipotentis dei manu habitacula* &c. Non sincerius praecedente, eique eodem loco *col.* 159. statim subjunctum.

DCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Foll. 117. f. min. nitidissime exaratus, majorem insuper commendationem a speciosissimis, quibus ornatus est, Picturis meretur. Nam praeter IV. Frontes Librorum, quae paginas integras occupant, plurimorum Articulorum Initia vividissimum Schema sive campestre, sive architectonicum, materiae tractandae congruens, exhibent, in quo inventionis ingenium cum imitatione antiquorum Artis operum et penicilli illecebris certat. Atque, ut specimen dem, Frons prima Codicis Monumentum elegans repraesentat, cujus summo Virtutes stolatae, suis adtributis insignes Caritas, R. 1536